



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Cardinalis Augustani virtus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

na negotiis animarum tempora, secū Eluangam
abiret. Verebatur obsequentissimus Doctor, ne
operis interpellatio, quod Pontifex Maximus im-
posuerat, cōtra obedientiam esset. Itaq; tanquam
vnus ē numero rem integrā Dilinganorum Pa-
trum voluntati, arbitrioq; permisit. Qui cum o-
ptimo Cardinali minimē negandū ex intermis-
sione non magna magnum adiumentum cen-
suissent, nullam ipse cunctationem obiecit. Exti-
tit sane dignum opera illa pretium. Mensis vnius
spatio præter confirmatos Catholicos, amplius
viginti Hæretici abstracti ab erroribus suis, & ad
orthodoxos reducti. Multorum expiatæ consci-
entiæ, & pauperum in primis in publica hospitali
æde degentium. Verūm Canisius in commemo-
randa totus est virtute Cardinalis, de se se reticens,
cum tamen dubium nequaquam sit, quin rerum
ab illo quoq; gestarum pars non modica ipsimet,
vel vt autori, vel vt adiutori debeatur. Lauisse
pauperibus propalam pedes in templo : iisdem
discumbentibus domi ministrasse: tum singulos
etiam donatos stipe dimisisse; Oppidum circum-
iisse quæritantem in opum domicilia, suaq; ma-
nu eis præbuuisse in opia leuamenta : ægrotos in-
uisisse

*Cardinalis
Angustianus
Girinus.*



uisisse item haud inani manu: alios demum omnes è populo concione, alloquio, re, exempli misericordia recreasse: pertinaces in errore ad vertendum solum compulisse: sanxisseque in posterum, ne cui inquilino Eluangam pateret accessus, nisi qui Catholicam fidem ritè professus esset. Inter hæc munera Paschales iam Feriæ appetierant, cum Canisius ad intermissam scriptiōnem totus animo, ac mente festinans, trepide accersitur Heripolim, studiisque ingentibus fatigatur, ut confessim accurat. Frequentem in vulgus rumorem ab Lutheranis dispersum, eum cognita demum veritate, prisco deserto cultu, ad ipsorum novum Euangeliū demigrasse. Inde triumphare, & insultare Catholicis: & quamuis videretur sapientibus ea fama incredibilis, tamen idiotis non leue discrimen afferre: qui, ut de fabula non dubitarent, ita persuaderent sibi aliquid tandem vidisse eiusmodi virum, quare noua veteribus sacra præstarent. Igitur ad hoc impudens, & exitiale machinamentū coram extemplo funditus euertēdum aduolaret. Apparuit ille repente, quo iam notuserat cultu, habituque: ostentavit se se per urbem, ascēdit in locum superiorem,

k

terque

*Heripolim ex-
currat.*